Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2855

Quelle:
Copyright:

initio *Codicis* hujus adlato. Legitur tamen *fol.* 47. p. 2. prave *laodicenſis ſtephanus* pro *Leodienſis*. Adſcripta eſt Quaeſtio: *Quare noluit dominus alia morte mori, niſi morte crucis?* Quae tractatur eodem modo, ut ab *Iſidoro de Eccl. Off.* L. I. c. 29. et ab *Alcuino de Div. Off.* c. 18. et *Comment. in Job.* c. 19.

V. *fol.* 63. *Litaniae* de omnibus Sanctis cum Precibus. Multum differunt a receptis hodie in Eccleſia. Ad Dioec. *Auguſtanam* pertinuiſſe praeter complures *Germaniae* Indigetes ſuadent inſerta *Afrae*, *Hilariae*, *Dignae*, *Eunomiae* et *Eutropiae* Nomina, Benedictino vero Coenobio inſerviſſe palam facit numerus II. *Benedicti* Nomini impoſitus.

VI. *fol.* 68. *Incipit Liber Ordinum Epiſcopalium.* Potius *Ritualem* dixeris: inſunt enim ſequentia: *Ritus ordinandi Clericos*, qui incipit: *Menſis primi quarti ſeptimi et decimi ſabbatorum die* &c. *Ordo ad benedicendam eccleſiam. Reconciliatio violatę eccleſię. Benedictio ſuper candelas in purificatione S. Marię. Cineris. Super Ramos palmarum. Reconciliatio Penitentium in Cena Domini. Ordo in die cenę. Decretum quod clerus et populus firmare debet de electo epiſcopo. Examinatio ordinandi epiſcopi. Benedictio epiſcoporum. Ordo ad monachos benedicendos*, ſed eraſum *monachos* et reſcriptum *canonicos*. Ita et mox in *Promiſſione regulari* pro *Benedicti*, ut puto, reſcriptum *Auguſtini* et *prepoſito* pro *abbate*. *Ordo abbatem benedicendi. Conſecrandi uirgines. Ad benedicendam Abbatiſſam. Ad capillos paruulorum incidendos. Ad clericum faciendum. Edictum quod dat pontifex epiſcopo cum benedicitur. Benedictio novę Crucis. Super capſellas et fuſtes. Enſis. Nouarum frugum. Malorum in feſtiuitate ſancti Xiſti. Herbarum in aſſumptione S. Marię. Ad omnia edenda. Agni ceterarumque carnium in paſca. Ordo baptiſterii. Viſitacio infirmorum. Ordo defunctorum. Benedictio ad calidum Ferrum. Iudicium Aquę frigidę.* Plurima ex his, licet aliâ ſerie, reperiuntur in *Ordine Romano*, alia in *Muratorii Liturgia Vet. Rom.* et *Martenio de antiq. Eccl. Ritibus.*

VII. *fol.* 161. p. 2. adſcripta ſunt: 1°. Differentia *Miſſae pro Defunctis* a conſueta Miſſa. 2°. Praedictio fabuloſa de VII. *Diebus* extremum Iudicium antegreſſuris. 3°. Ὀνειροκριτικον ordine alphabetico, abruptum in litera I. 4°. Decretum quod factum dicitur *Anno dominice incarnacionis milleſimo XXIII. anno heinrici imperatoris XVIII. cum XII. epiſcopis, ut plebs chriſtiana quatuordecim dies ante feſtiuitatem ſancti iohannis abſtineret a carne et ſagimine* (adipe). Ordinantur et alia jejunia, et obſervanda, ſed pagina valde extrita eſt; non tamen ita, ut non ſe prodant prima II. *Capitula* Synodi Provincialis in *Salegunſtat*, hodie *Seligenſtadt*, celebratae ab *Aribone* Archiep. *Moguntino* a. MXXII. non MXXIII. Adi T. III. *Concil. Germ.* p. 55. ubi videbis *Codicem* non

tan-